



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. IV. Quòd in veritate & humilitate, coram Deo conuersandum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

militer conuersari : quia sapientia mea
tu es, qui in veritate me cognoscis, &
cognouisti antequam fieret mundus,
& antequam natus essem in mundo.

CAP. IIII.

*Quòd in veritate & humilitate, co-
ram Deo conuersandum est.*

FILI, ambula coram me in veri-
tate; & in simplicitate cordis tui,
quære me semper. Qui ambulat co-
ram me in veritate, tutabitur ab incur-
sibus malis, & veritas liberabit eum à
seductoribus & detractionibus ini-
quorum. Si veritas te liberauerit, verè
liber eris, & non curabis de vanis ho-
minum verbis. Domine verum est.
Sicut dicis, ita quæso, mecum fiat. Ver-
itas tua me doceat; ipsa me custodiat,
& vsque ad salutarem finem conser-
uet. Ipsa me liberet ab omni affectio-
ne mala, & inordinata dilectione : &
ambulabo tecum, in magna cordis
libertate. *Gen. 17
Sap. 1.
Ioan. 8.*
Ego te docebo (ait Veritas) quæ
recta sunt, & placita coram me. Cogi-
ta peccata tua, cum displicentia magna

& mœrore : & numquam reputes te aliquid esse, propter opera bona. Reuerà peccator es, & multis passionibus obnoxius & implicatus. Ex te semper ad nihil tendis; citò laberis, citò vinceris; citò turbaris, citò dissolueris.

1. Cor. 4. Non habes quidquam, vnde possis gloriari, sed multa, vnde te debeas vilificare: quia multo infirmior es, quàm vales comprehendere.

3 Nihil ergo magnum tibi videatur ex omnibus, quæ agis. Nil grande, nil pretiosum & admirabile, nil reputatione appareat dignum : nil altum, nihil verè laudabile & desiderabile, nisi quod æternum est. Placeat tibi super omnia æterna Veritas, displiceat tibi semper tua maxima vilitas. Nil sic timeas, sic vituperes & fugias, sicut vitia & peccata tua: quæ magis displicere debent, quàm quælibet rerum damna. *Eccli. 3.* Quidam non sincerè
Eccli. 2. coram me ambulant, sed quadam
Cor. 3. curiositate & arrogantia ducti, volunt secreta mea scire, & alta Dei intelligere, se & suam salutem negligentes. Hi sæpè in magnas tentationes & peccata, propter suam superbiam & curiosi-

rositate, me eis aduersante, labuntur.

4 Time iudicia Dei, expauesce iram omnipotentis. Noli autem discutere opera Altissimi, sed tuas iniquitates perscrutare, in quantis deliquisti, & quàm multa bona neglexisti. Quidam solum portant suam deuotionem in libris, quidam in imaginibus, quidam autem in signis exterioribus & figuris. Quidam habent me in ore, sed modicum est in corde. Sunt alij, qui intellectu illuminati & affectu purgati, ad æterna semper anhelant: de terrenis grauius audiunt, necessitatibus naturæ dolenter inseruiunt: & hi sentiunt, quid spiritus veritatis loquitur in eis. Quia docet eos terrena despicere, & amare cælestia: mundum negligere, & cælum tota die ac nocte desiderare.

Isai 29.

Psal. 24

Psal. 1.

CAP. V.

De mirabili effectu diuini amoris.

BENEDICO te pater cælestis, pater Domini mei Iesu Christi, quia mei pauperis dignatus es recordari.

O pater misericordiarum, & Deus totius

2. Cor. 1

totius